



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia


**Vindalium, 1646**

Sectio I. Quomodo distinguantur peccata ex parte obiecti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

DE PECCATIS. CAP. V. 39

Dices 3. absurdum videri, quòd omis-  
sio aliquando non sit culpabilis, & tamen  
volitio illius sit mala: si enim non  
est malum omittere, quomodo malum  
est, velle omittere? Respondeo ideo  
hoc esse malum quia cum omissio pro-  
hibita sit, ea est in se obiectiue mala, etsi  
libertate careat. Vnde fit vt libera voli-  
tio illius formaliter mala sit; quemad-  
modum velle occidere hominem pecca-  
tum est, esto postea contingat eum ab  
ebrio occidi, adeoque talem occisionem  
in se non esse malam.



CAPVT VI.

*De distinctione peccatorum.*

---

SECTIO I.

*Quomodo distinguantur peccata ex  
parte obiecti.*

CONCLUSIO I.

**P**eccata distinguuntur specie, ratione  
obiectorum.) Ita loquitur S. Tho-

mas 1. 2. quæst. 72. art. 1 & probat in arg. sed contra, quia peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei; sed dicta, vel facta, vel concupita, cum sint actus, distinguuntur specie secundum diuersa obiecta, ergo, &c.

Notandum autem 1. ex corpore articuli, hoc debere intelligi de peccato, ut est actus voluntatis, non verò est quædam deordinatio; quia priori modo comparatur per se ad peccantem qui intendit talem actum voluntarium exercere, in tali materia; posteriori verò per accidens, eo quòd nullus intèdens ad malum operatur; at manifestum est vnumquodque consequi speciem, secundum id quod est per se, non autem secundum id quod est per accidens; quia quæ sunt per accidens, sunt extra rationem speciei.

Hinc autem apertè colligi potest, ex mente S. Thomæ formale peccati commissionis consistere, in ordine positivo ad obiectum rationi dissonum, non autem in priuatione rectitudinis debitæ. Cùm enim res quælibet, per id formaliter constituatur in esse specifico, per quod ab aliis specie distinguitur si peccata specie distinguantur per ordinem ad obiecta, consequens est ut per eundem etiam ordinem in esse specifico constituantur.

DE PECCATIS. CAP. VI. 41

Notandum 2. dubitari posse, an specifica peccatorum distinctio aliunde sumatur, quàm ab obiecto. Respondeo 1. dici posse, eam etiam sumi à fine, quia ut monet S. Doctor art. citato ad 1. finis principaliter habet rationem boni, & ideo comparatur ad actum voluntatis, sicut obiectum: vnde in idem redit, quod peccata differant secundum obiecta, vel secundum fines.

Respondeo 2. propriè loquendo, peccata non distingui specie, per ordinem ad præcepta diuersa, cum sufficienter specificentur ab obiectis. Dicitur tamen posse, ex distinctione præceptorum interdum colligi diuersitatem specificam peccatorum, nempe quando præcepta sunt formaliter distincta, non autem si tantum materialiter distincta sint. Dicuntur enim præcepta formaliter distincta quæ respiciunt honestates distinctas, materialiter vero, quæ circa eandem honestatem versantur.

Vnde collige 1. furtum per se loquendo, in ratione furti, non esse nisi vnum specie peccatum, esto lege diuina, & humana prohibeatur: quia vtraque lex ex eodem motivo furtum prohibet, quatenus nempe habet talem disconuenientiã cum conuictu humano. 2. furtum in lo-

co sacro parratum, habere duas malitias specie distinctas, alteram furti, ob dictam rationem, alteram sacrilegij, quatenus continet irreuerentiam diuini cultus, propter quam eiusmodi furtum lege Ecclesiastica prohibitum est. Vnde cum in confessione omnes peccatorum species sint declarandæ, qui aliquid in loco sacro furatus est, eiusmodi circumstantiam confiteri debet.

Respondeo 3. interdum circumstantiam dare nouam speciem peccati, actui malo, nimirum illam quæ infert specialem ordinem deformitatis ad rectam rationem, vt tradit S. Doctor 1. 2. qu. 18. art. 10. Quod vt intelligas, Nota ex art. 11. aliquas esse circumstantias, quæ non habent ordinem ad rationem prohibentem, nisi supposita actus malitia, per ordinem ad obiectum; quomodo non prohibetur quantitas furti, nisi quia furtum ipsum malum est. Aliæ verò sunt circumstantiæ quæ ex se, & independenter à malitia actus, nō habēt ordinē discōuenientiam ad rationem vt cum quis mentitur, ex intentione furandi: furtum enim ex se, & independenter à mendacio malum est, rectæque rationi repugnans. Circumstantiæ ergo posterioris istius generis nouam inducunt speciem peccati, cum priores spe-

DE PECCATIS. CAP. VI. 43.  
ciem non mutant, sed malitiam, quam  
actus aliunde habet, aggraunt, aut mi-  
nuant.

¶ Dices, furari aliquid in loco sacro, est  
circumstantia addens nouam peccati spe-  
ciem, ex communi sententia; at talis  
circumstantia non habet specialem ordi-  
nem ad rationem prohibentem, sicut ne-  
que quantitas furti: siquidem accipere  
rem alienam in loco sacro, non est ma-  
lum, nisi quia malum est, rem alienam  
accipere, quemadmodum non nisi propter  
eandem rationem, malum est rem alie-  
nam accipere in magna quantitate. Res-  
pondeo negando minorem, est enim ma-  
nifestum discrimen inter duas illas cir-  
cumstantias, quia etsi per impossibile fur-  
tum non esset malum, esset tamen malū,  
& rationi contrarium loco sacro iniu-  
riam inferre, quæ est circumstantia furti  
sacrilegi; at non esset malum, in ea hy-  
pothesi impossibili, rem alienam in ma-  
gna quantitate accipere.